



Universitätsbibliothek Sachsen-Anhalt



1718 18

LECTIONES PVBLICAS  
DE  
**INCREMENTIS  
ARTIS MEDICAE  
EX REMEDIIS EXOTICIS  
NOVITER DETECTIS  
EXPECTANDIS  
HABENDAS INTIMAT**  
ET  
ARTIS SALVTARIS CVLTORES AC  
BONARVM ARTIVM AESTIMATORES AD  
EAS AVDIENDAS INVITAT  
**ABRAHAMVS VATER**  
PHIL. ET MED. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGA.

---

*VITEMBERGAE,  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII.*





Q. D. B. V.

**A**rtis salutaris, uti primam originem ac remediorum inventionem, ita non minus ulteriorem culturam et incrementa soli experientiae, optimae rerum magistrae relatam nos ferre debere, nemo inficias facile ibit. Quotus enim quisque historiae medicae adeo ignarus est, quem fugiat, aegros primis temporibus ad vias publicas atque atria templorum positos fuisse, ut sciscitando a praetercuntibus experirentur, an simili morbo laborant illi, et quoniam remedio utentes liberati fuerint? Non minus constat, multorum remediorum inventioni ansam dedisse animalia bruta, alia occasione

A 2

casione

catione desumpta a signatura extrinseca, colore, odore, sapore, similitudine cum aliis vel cum partibus corporis, quamplurima vero, ne dicam omnia experiendo detecta esse. Propterea haud immerito experientiae primas in Medicina partes attribuunt tantum non omnes saniores rerum aestimatores, si quidem medicina non post rationem inventa est, sed post inventam medicinam de rationibus homines differere ceperunt. Neque tamen ideo cum Empiricis ratiocinium omne & inquisitio naturae est proscribenda e foro medico, nisi medicum brutum atque ratione destitutum concipere nobis velimus. Quemadmodum etiam ratiocinium nullum est, quod non pro fundamento agnoscit experientiam sive propriam, sive alienam, eam quidem rite institutam. Inde etiam factum est, quod Medici veteres sectis addicti, neglecta natura, tot fabulas de calido innato, archaicas, fermentis, & alia opinionum monstra in artem medicam introduxerint, a quibus ea demum liberari cepit ductu philosophiae experimentalis ac mechanicae. Idque adhuc agunt sagacissimi naturae scrutatores, quibus nil magis cordi est, quam ut corporis humani structuram ope cultri anatomici examinent, causas morborum ex sectionibus demortuorum explorent, circulum humorum vitalium experimentis in liquidis institutis illustriorem reddant, corpo-

corporum variorum naturalium, mineralium, vegetabilium et animalium vires ac efficaciam in corpus humanum propria vel aliena experientia confirment, atque ita artis adeo necessariae incrementum promovere allaborent. Quandoquidem vero ars longa, vita vero brevis est, et unius hominis non est omnia experiri, hinc saluberrimo consilio tot eruditorum societates exstructae, ut compositis laboribus et coniunctis viribus scientiarum perfectioni operam dent. Non sine digno encomio praetermittenda a me est Academia Naturae Curiosorum Germaniae, licet Ea laudes meas multis modis supereret, cuius membra Medici non tantum Germani, sed aliarum quoque nationum clarissimi atque experientissimi sua in praxi, circa speciales morborum causas, remediorum singularium efficaciam, et applicandi modum observata, in diffitis orbis terrarum regionibus comparata, publici iuris faciunt, e quo instituto magna certe utilitas ad artem nostram non potest non redundare. Ut taceam alia, quibus ars salutaris in dies perficitur, sola mihi nunc res est cum studio Materiae Medicæ, quod certe curiosum non tantum, sed etiam adeo utile ac necessarium est censendum, ut ab illius cultura magnos sibi progressus in arte medica promittere quilibet possit. Nemo for-

A 3

fan

fan erit, qui nesciat, nostram aetatem admodum  
fertilem esse proventu ac inventione novorum  
remediorum, imprimis exoticorum, de quorum  
admirandis virtutibus et singulari efficacia in mor-  
bis pertinacissimis, authores multa encomia literis  
consignata ediderunt. Dissimulandum quidem non  
est, magna circumspectione hic esse agendum,  
ne omnia sine exquisito examine admittamus,  
neque ea plus iusto laudibus p[re] medicamen-  
tis usitatis ac indigenis extollamus. De Medicina  
enim nostra optimo, ut ait Celeberrimus  
Lochnerus, *Tract. de Belille Ephemer. Germ.* iure scri-  
bere licet, quod medicorum et aegrorum plurimi  
medicamentis alieno sub sole natis inhient, et  
quod maxime expectatur id, quod remoto arcessi-  
tur orbe. Scilicet quo rariora et cariora, eo  
quoque chariora, cum tamen saepius illa, quae  
pedibus calcamus cum exoticis pari passu ambu-  
lent, immo saepius illa superent. Non ideo tamen  
haec dicta existimemus, ut hoc ipso quicquam de-  
trahatur laudi remediorum novorum quamplurimi-  
orum, ex peregrinis ad nos regionibus allato-  
rum, quorum quaedam tantam famam iure meritoque  
adepta sunt, quoniam morbis gravissi-  
mis atque pertinacissimis citam pariter ac tutam  
medelam afferunt. Solus Cortex Peruvianus in-  
star

star omnium exemplo esse potest, ad quem, tanquam ad sacra manchoram, in febris intermittentibus tantum non ab omnibus confugitur. Quid dicamus de radice Ipecacuanha, quae paucos admodum annos in usum tracta, eminentiori virtute et fere specifico dysenteriam profligare observatur, quin etiam a Dno D. Mayero, Medico Vratislaviensi ad epilepsiam contumacem egregio cum effectu applicata est, quam, ordinariis, nihil quicquam proficientibus, sine manifesta evacuatione sedavit, ut ipse refert in observationibus ad Academiam curiosam missis *Anno MDCC XVII. C. VI. fol. 28.* Non minorem laudem sibi quoque vendicat radix Pareira Brava, quae certissimum, citissimumque auxilium contra calculum lithontripticum a multis depraedatur, de qua observations admirandas refert citatus laudatissimus Lochnerus *Ephem. Germ. Ao MDCC XII. in Append.* Taceam nunc plura, quorum virtus magis nota, quam ut a me explicari indigeat, herbam Acmeillae, Radicem Ninfin, serpentariam Virginianam, aliam amaram, aliam sassafracei saporis et odoris, Lapidem del Porco, aliaque plura, cum omnes libri recentiores earum virtutibus descriptis pleni sint, et trans eo potius ad alia, quae vix ultra nomen nota sunt.

funt. Plura eiusmodi per aliquot annos collegi exotica, de quibus parum vel nihil adhuc literis consignatum inveni, quae tamen virtutibus singularibus praedita esse, per literas confirmatus sum. Non possum tamen non depraedicare hic Clarissimi Rittmeyeri, Practici apud Amstelodamenses felicissimi, studium singulare ac benevolentiam in me eximiam, cui me plurimum propterea debere, ingenue confiteor. Inter ea autem, quae tanquam curiosa ac rara conservo, primo nominandus mihi venit, lapis exiguus ratione molis, sed pretiosissimus et efficacia summa praeditus, *Pedra quadrata* a figura dictus, cuius mentionem fecit Lochnerus loc. citat. Insignes plane laudes ibidem retulit de virtute illius lithontriptica, siquidem calculum non tantum pellere sed etiam potenter eundem atterere, imo foetum, secundinas, molam efficacissime promovere celebratur. Commendatur praeterea ad obstructions, melancoliam, inflammations, febres, aliosque plurimos morbos. Hoc quidem admiratione dignum censeo, quod aquae simplici, vel medicatae per pauca temporis minuta iuditio, virtutem ei suam insensibili ac incredibili plane modo concedit, ita, ut tres vel quatuor unciae huius aquae potae, alvum movant cum nausea, et fatus imprimis, nec non urinam

nam potenter urgent, quod egomet ipse in diversis subiectis aliquoties expertus sum. Eaque acticitas in aqua sensibiliter augetur, quo diutius immergitur eidem, unde per noctem cum eo reposita aqua, a me exhibita alvum pertinacissime obstatim, vix fortissimis purgantibus cedentem aperuit, quamobrem in affectibus antea enumeratis insignem effectum praestat. Transeo ad frumentum, cui *Bua hatti Kittgill* nomen est, quod derivatur a *Bua*, quo frumentum, et *hatti*, quo cor in lingua orientali Maleyanā denotare dicuntur, ob summam vero et exquisitam amaritatem rex amaroris audit. Triplicem autem eius speciem habent, quarum prima *Bua hatti Bundall*, ex arbore magna, foliis, tamarindorum similibus et coloris albi, instructa, eaque vomitum excitat. Altera *Bua hatti pasaar*, fere convenit cum *Bua hatti Kittgil*, minoris tamen amaritiae et debilioris virtutis confortativae aestimatur. Tertium *Bua hatti Kittgill*, vomitus quoque ciet in copia assumpta, alias summum stomachicum confortativum et antifebrile est, quod amarities satis docet, unde ab incolis cum arecca vel *Pinang* masticari solet. Sequitur radix *Kinkin* seu *Xinkiu*, cuius iconem et descriptionem reperire licet apud *Ten Rhyne Tract. de Arthritide*, quae *Sinenium* sum-

B

mum

mum et quasi universale remedium existit, unde  
Sinica virtuosa audit. Odore levisticum quodam-  
modo refert, sed idem multis modis antecellit aro-  
matica fragrantia, ob quam piscinae iniecta pisces  
gregatim allicere fertur, et propterea virtute sto-  
machica, aperitiva et confortativa singulari pol-  
let. *Radix Salab*, ex Persia allata, magnam cum  
Palma Christi similitudinem habet, et ob substanciam  
pulposam tenacissimam, sale volatili im-  
praegnatam, ad venerem incitandam in infuso at-  
que decocto adhibetur. Non minus confortat,  
quam radix Ninsi, cui in eo antefertur, atque ideo  
tanquam optimum cardiacum atque carminativum,  
ad colicam curandam non immerito commenda-  
tur. *Radix Matalistae* alvum stimulando laxat, ae-  
que ac Gialappa, sed multo blandius, ac ea, ope-  
ratur. *Radix vero Sambrae Americanae* hy-  
dropicorum aquas citissime expurgat, in infuso  
ad drachmas duas exhibita, de cuius singulari ef-  
fectu egregia experimenta nota mihi sunt. *Sola-  
lanum Tali* est lignum croceum, cui specialem effi-  
ciam in cholera curanda et vermis necandis  
adscribunt, quod etiam confirmat sapor resinofus  
amarus, cum rhabarbaro conveniens. *Lignum*  
*autem vulnerarium* ex India occidentali proveni-  
ens, easdem cum ligno fraxini nostrate, ac e-  
minen-

minentiores sangvinem sistendi vires possidere dicuntur. *Lignum*, a colore aeruginoso *ferreum* dictum, in pulvere pedi podagra dolenti applicatum, dolores sedare perhibent. *Culicamba* fert fructum pomum similem, eiusque arboris cortex contra aphtas in infuso adhibetur. *Cortex vero Jubabae*, ob saporem mucilaginosum aromoticum et acrem, pro pectorali medicamento non incongrue venditatur. *Cortex Massai* seu *Massoi*, quem et ovinium vocat Rumphius in Epistola ad Ten Rhyn, *Valentini Musaeo inserta*, fervidus et aromaticus est, cum quo etiam facie extrinseca et sapore, licet blandiori convenit *Aromaticus Indiae* in specie dictus, uterque confortiva ac stomachica virtute se commendat, ob quam etiam ad febres tertianas laudatur. Nunc quoque commemorandum *semen sabadilliae* vel *sabadilliae*, quod saporem acrem fervidum, et instar pyrethri causticum exhibet, ac ideo ad pellendos atque necandos pediculos in eminentiori gradu, ac semen *Staphisagriae*, et quasi specifice conductit. Ex *semine Cateputiae* vel *Cataputiae Indicae* oleum expressum servo, cuius aliquot guttae saccharo exceptae, *Elaeosaccharum* blandissime atque commodissime purgans praebent. *Placenta Gutta Gambae* vel *Catagamba*, quoad nomen videtur participare de *Gummi Guttac*, aliud vero svadet sapor

austerus gummosus instar Catechu; cum exquisita  
tamen dulcedine conjunctus, et imprimis quoni-  
am in phthisi et angina usum praestare perhibetur.  
*Quod si ex Gummi Guttae aliquid admixtum es-  
set, non tam ad hos, quam alias pectoris affectus,  
tussim atque asthma conducere posset, quo tamen  
sine ingredientium indagine temere quem uti pos-  
se haud existimo.* *Gummi Galdae* consistentia at-  
que colore ceram flavam referens, maculis nigri-  
cantibus interspersis, eiusdem cum ea tenacitatis,  
saporis vero et odoris gratissime ac blandissime a-  
romatici, singulare omnino ac temperatissimum bal-  
famicum et vulnerarium medicamentum, nullaten-  
nus calidum, cui propterea nullum inter gumma-  
ta haec tenus nota comparandum, multo minus ante-  
ferendum, adeoque tutissime in vulneribus et ul-  
ceribus internis usur pandum. Pariter *Gummi Kike-  
kamalo aut Guequenemale*, odore fragrantissimo, sa-  
pore aromatico acriori notat naturam exquisite  
balsamicam, atque salis volatilis oleosi copiam in  
resinosis concentratam, de cuius insigni usu pecto-  
rali et vulnerario egregias ante plures annos ob-  
servationes a Doctissimo Dno D. Daumio, Practi-  
co Zwicciensi literis ad Parentem datis prescri-  
pta sunt. Pariter etiam *Balsamum Americanum ru-  
brum, et Raccasar* itidem ex India occidentali alla-  
tum

tum, odore et sapore gratissimo virtutes vulnerarias singulares docent. Abstineo ab enumeratione reliquorum, quae servo rariorum, inter quae sunt *Lignum Calambouc* rarissimum ac pretiosissimum, *Lignum Stercorarium*, odore singulari excrementa humana referens, *Cortex Thymiamadis*, residuum ab expressione *Styracis* liquidae, *Gummi de Look*, quod cum Copal convenit, *Camphora del Baros* nativa, et ob exiguum, qua obtinetur, copiam admodum rara et chara, *semen Paragrai*, vomitorium in infuso adhibendum, *semen Magaleppae*, *caryophilli Plinii*, *Piper aethiopicum*, *lapis filtrum*, *semen Acayou*, *herba Orseilles* duplex, altera ex Virginia, altera ex insulis canariensisibus, e saxo crescentis, quam partim in scriptoribus recentioribus iam tum descripta, partim penitus sunt incognita. Haec vero haetenus recensita publici iuris hac occasione facere volui, ut eruditis ansam exhibeam, quo ultraius naturam eorum perquirant, et si quae plura de iis comperta habeant, eadem in sanitatis humanae emolummentum patefaciant, quoniam quam plurimorum locus natalis atque usus adhuc dum maxime obscurus. Facem nobis ea in re accendere poterunt, quibus datum est regiones istas longo

go terrarum marisque tractū a nobis dissitas pera-  
grare , aut qui in empōriis Europae celebrissi-  
mis cum hominibus inde redeuntibus conver-  
santur . Mihi nunc sufficiat , quod ea in aug-  
mentum artis , peregrinando apud exteris , et post  
illud tempus continuato literarum commercio col-  
legerim , quae nunc in usum studiosae iuven-  
tutis vertere est animus . Quandoquidem enim  
Dei Immortalis favente gratia factum est , ut  
**Serenissimus ac Potentissimus Dominus ,**  
**Dominus FRIDERICVS AVGVSTVS , Polo-**  
**niarum Rex et Elector Saxoniae , Cle-**  
**Mentissimus Patriae Pater** provinciam do-  
cendi Medicinam extra ordinem mihi demanda-  
ret , non solum privatim , uti haetenus consuevi , sed  
etiam publice imposterum , auditorum meorum com-  
modis omnibus modis inserviendi , nullam occasi-  
nem praetermittam . In lectionibus igitur publi-  
cis , die Mercurii atque Saturni ab hora secunda ad  
tertium a meridie vi munera mihi concessi haben-  
dis , de incrementis Artis Medicae , ex remediis  
exoticis noviter detectis expectandis , verba impo-  
sterum faciam , exotica illa haud vulgaria , et si  
quae alia obtinuero , demonstrabo , de eorundem  
natura et usu differam , et experimenta , a me aliis-  
que

que instituta communicabo. Non potest non  
hoc institutum magnam afferre utilitatem artis  
medicæ studiosis, siquidem non omnibus con-  
cessum est, exteras nationes adire, et horum noti-  
tiā sibi comparare, et si cui obtingat, tanto  
maiorem fructum ex eo capere poterit. Privati-  
tim pergam ab hora VIII. ad IX. ante, et hora  
III. ad IV. post meridiem docere Praxim, et hac  
finita Chirurgiam et Medicinam forensem incipiam.  
Ab hora X. ad XI. continuabo materiam Medicam,  
qua ad finem perducta, propediem Pharmaciam et for-  
mularum conscribendarum leges tradam. Ab hora II.  
demum ad III. post meridiem, Anatomiam explicare  
superiori hebdomade aggressus, in docendo et dif-  
fecando occupatus ero, praeter binas horas, die Mer-  
curii et Saturni lectionibus publicis impendendas.  
Hyeme vero instantे Collegium Chemicum, uti quo-  
tannis facere solitus sum, aperiam, et iis quoque,  
qui curiosa amant, chimiam curiosam atque artis  
docimasticae fundamenta tradam, et experimen-  
tis, eam in rem instituendis demonstrabo. Prae-  
stat enim Chymia multiplicem utilitatem, aliam  
quidem in elaboratione medicamentorum, aliam  
in examine corporum naturalium rite instituto,  
aliam in dirigendis atque perficiendis artibus me-  
chanicis in specie metallurgica atque vitraria. Pro-  
pterea

464

pterea quoque illa varie tractari potest et deber,  
medice nimirum, cum e corporibus educimus ea,  
quae ad sanitatem praeservandam, restaurandam at-  
que confirmandam sunt idonea, & physice, quan-  
do corpora variis ignis gradibus ac menstruis tra-  
ctamus, eorum compagem dissolvimus, et naturam in-  
teriorum, adhibita quidem debita in ratiociniis cir-  
circumspectione, cognoscimus. Hoc ipso autem  
non tantum pleraque remedia chimica inventa  
sunt, sed etiam artibus antea dictis multum lu-  
cis accessit, quod nemo facile inficias ibit. Id  
igitur agam, ut Auditorum meorum curiositati ac  
cupiditati pro viribus satisfaciam. Quibus haec mea  
studia placebunt, quandocunque me accedere, et  
officia quaevis gratissima a me expectare poterunt.  
**Valete et Favete. Dominic. IV. post Trin. Fest.**

Ao. M DCC XVIII.



**ULB Halle**  
005 708 540

3





**Farbkarte #13**

B.I.G.



1718 18

LECTIONES PVBLICAS  
DE  
**INCREMENTIS  
ARTIS MEDICAE  
EX REMEDIIS EXOTICIS  
NOVITER DETECTIS  
EXPECTANDIS  
HABENDAS INTIMAT**

ET  
ARTIS SALVTARIS CVLTORES AC  
BONARVM ARTIVM AESTIMATORES AD  
EAS AVDIENDAS INVITAT

**ABRAHAMVS VATER**  
PHIL. ET MED. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
NATVRÆ CVRIOSORVM COLLEGA.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS AVGSTI KOBERSTEINII.